



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Margarita V. M. 20. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

20. IUL. *Vita Sanctorum.* 395
NIO memoria impressam altiùs ge-
staremus. *Ex Metaphr.*

S. MARGARITA V. M. 20. Iulii.

MARGARITAM in manus
damus, vel cælo iudice pretiosam.
Adolescentula clam parentibus Sacra
nostra edocta est. Eam ob causam ad
Olybrium Præsidentem raptata fuit, ipso
(nefas!) parente filiam accusante. Gra-
vius etiam periculum eudebatur, quan-
do Iudex à formâ MARGARITÆ
captus amatorem induit, & mollibus
armis, blanditiis pugnam movit. Elusit
tamen insidias Virgo prudens, & Præ-
ses larvâ Amoris positâ tyrannum pro-
didit Virgis initio cæsa, tum uncis lace-
rata & in carcerem data. Ibi quoque
fatigatam recens hostis Oreus excepit,
Draconis exuviis horrendus. Sed hunc
objecto scuto Crucis repulit precumq;
jaculis confixit. Victrici Superi tro-
phæum posuerunt Crucem mirè splen-
dentem, & è cuius apice columba so-
laria dedit & omnibus vulneribus Me-
dicinam. Triumphum hunc primum
ornarunt XV. millia hominum in liber-
tatem Christianam è Deorum servitute
asserta. Non multò post iterum pugna-
tum, & in triumphum ducti ignis &
aqua. Nam & faces ardentes pectori
admotas in sancti Amoris flammis, &
aqua, in quas abjecta erat, in baptis-
mum

C c 2 TROA mum

mum vertit DEVS. Iterum ergo triumphanti columba illa divina palam coronam imposuit. Invidit Olybrius, & caput laureatum gladio abstulit. Sed imprudens alteram coronam adjecit.
Ex Surio & Lippelo.

S. DANIEL PROPH. 21. Iulii.

Agite Mariani, si virtutis ardua, si refusa aqua piget calcare, ecce ille magnorum regum vates, ille leonum & adeo Deorum domitor per pomaria illuc vos ducet. vos modo ne oculos otiosos afferte, sed obambulando ipsum pudicitiae florem Susannam spectate. Anne videtis, uti nec formae decor, nec locus solus, nec blanditiae minae hunc possint decerpere? nempe sola non fuit, quae secum in oculis ubique Numen circumtulit. Certè hoc suis in oculis Susannam tulit. Etenim, agite modo capita scelestae, eja populum in vestram perniciem cogite, accusate innocentiam damnandi à puero senes. Et, quid tu ais? scelus. ubi facinus patratum? sub *schino*. euge! & tu Orci silicernium, ubi? sub *pruno*. papae! neque mentiri scite didicistis. Io! Innocentia triumphas. nunquam patrono cares. At vos capulares Veneris Columbos jam lapidantium manus palpabunt. quid saxa, quid moras trahitis? obruite eja improbas Cupidinis victimas. Epitaphium ego dabo. SVB SAXIS AMOR. HIS IACET SEPULTVS. *Ex Dan. ipso.*